FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

CATECHESIS || DAVIDIS || CHYTRÆI || RECENS RECOGNITA, ET || MVLTIS DEFINITIONI-||BVS AVCTA.||

Chyträus, David

Magdeburg, 1571

VD16 ZV 27938

PRIMVS LOCVS. DE DEO.

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148322

Visual Library

PRIMVS LOCVS.

DE DEO.

Quid eſt Deus?

Simplicisſima & optima Definitio Dei eſt SYMBOLVM APOSTOLORVM vel Nicenum; *quod iuniores omnes accurate ediſcere, & nos grandiores etiam quotidie & attente recitare utiliſsimum eſt, ut nos ad cogitationem de Deo, & de tribus perſonis, de beneficiis filij Dei, & omnibus Dei operibus, de Creatione, de Redemtione, de perpetua Eccleſiæ collectione, de remiſsione peccatorum, & uita æterna exuſcitemus.*

Deinde & uſitata deſcriptio DEI, *erudite & pie à* D. *Præceptore compoſita, ediſcatur, iiſdem uerbis, quibus in loco de Deo tradita eſt.*

DEVS eſt eſſentia ſpiritualis, intelligens, æterna, verax, bona, pura, iuſta, miſericors, liberrima, immenſæ potentiæ & ſapientiæ: Pater æternus, qui Filium imaginem ſuam ab æterno genuit: & Filius imago Patris coæterna: & Spiritus ſanctus procedens à Patre & Filio, ſicut pate-

patefacta eſt diuinitas certo verbo, quod pater æternus cum Filio & Spiritu ſancto, condiderit & ſeruet cœlum & terram & omnes creaturas, & in genere humano, condito ad imaginem ſuam, & certam obedientiam, elegerit ſibi Eccleſiam, vt ab ea hæc vna & vera diuinitas, patefacta certis teſtimonijs, & per verbum traditum Prophetis & Apoſtolis, agnoſcatur, inuocetur, & colatur, iuxta verbum illud diuinitus traditum, & damnentur omnes cultus, qui fingunt alios Deos, & hæc vera diuinitas in vita æterna celebretur.

Quod ſi prolixior hæc Dei deſcriptio alicui uidetur, hac breuiori uti poterit.

DEVS eſt eſſentia ſpiritualis, vnica, æterna, ſapiens, iuſta, miſericors, omnipotens, Pater æternus, & Filius imago Patris, & Spiritus ſanctus à patre & filio procedens, patefacta in creatione mundi, & verbo Eccleſiæ tradito, iuxta quod ſolum ab hominibus agnoſci & coli vult, & in omni æternitate celebrari.

Quot

Quot ſunt perſonæ Diuinitatis? Tres.

Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

Quid eſt Perſona?

Perſona eſt ſubſtantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis, non ſuſtentata in alio.

CVR TANTVM TRES PERSONÆ diuinitatis agnoſcendæ & inuocandæ ſunt, & non plures vel pauciores?

Quia Deus ſic ſe patefecit, in baptiſmo Chriſti, & in inſtitutione baptiſmi noſtri, & alijs teſtimonijs. Matth. 28. Baptizate eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti.

Fundamentum ~~autem~~ totius doctrinæ Theologicæ eſt hæc ſententia: Quod non aliter ſit de Dei eſſentia, & voluntate & cultibus ipſi præſtandis ſentiendum aut docendum, quam ſicut ſe Deus, in ſuo verbo, per Prophetas & Apoſtolos tradito, patefecit.

Deut. 4.12. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Eſaiæ. 8. Si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

RECITA DESCRIPTIONES ET diſcrimina trium perſonarum diuinitatis.

PATER eſt prima perſona diuinitatis, quæ ab æterno genuit filium coæternum, imaginem ſuam, & vnà cum Filio & Spiritu ſancto omnes res ex nihilo condidit & conſeruat.

FILIVS eſt ſecunda perſona diuinitatis, genita ab æterno patre, & eſt ſubſtantialis & integra imago æterni Patris, qui filius poſtea fuit interceſſor inter Deum & primos homines lapſos, & conſtitutus Mediator, aſſumſit ex virgine Maria humanam naturam. factus eſt victima pro nobis, & per eum, ac propter eum ſolum datur ab æterno Patre remiſsio peccatorum, iuſticia & vita æterna.

SPIRITVS ſanctus eſt tertia perſona di-

na diuinitatis, ab æterno procedens à Patre & Filio, quæ in prima conditione fouit, & viuificauit omnes res naſcentes, & poſtea omnibus temporibus mittitur, vt miniſterium docendi in Eccleſia guberner, & per Euangelium corda piorum regeneret & ſanctificet, hoc eſt, nouam lucem veræ agnitionis Dei, veram conſolationem in omnibus ærumnis, veram iuſticiam, vitam & læticiam in eis accendat.

TESTIMONIA DE DIVINITATE Filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Rom. 9. Chriſtus eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.

1. Iohannis 5. Sumus in uero (Deo) in filio eius Ieſu Chriſto. Hic eſt uerus Deus & uita æterna.

Ierem. 23. Inuocabunt eum, IEHOVA iuſticia noſtra.

Iohan. 20. Dominus meus & Deus meus.

Ioh. 1. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος.

Et Verbum erat Deus.

QVARE FILIVS DEI NOMInatur λόγος ſeu Verbum?

Pri-

Primùm reſpectu æterni Patris, quia eſt imago patris, in qua integre lucet ſapientia & bonitas ac eſſentia patris: ſicut noſter ſermo cogationum mentis effigies eſt.

Deinde reſpectu noſtri, quia primus dixit humano generi promiſsionem Euangelij, ex arcano ſinu patris prolatam, & ſubinde in colloquijs cum patribus eam repetiuit, ut Ioh. 1. dicitur: Filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit.

III. *Quia per miniſterium huius ſui uerbi ſeu Euangelij efficax eſt & dicendo, ſeu uerbo ſuo, ueram agnitionem æterni patris, ueram conſolationem & uitam accendit. Matth. 11. Nemo nouit patrem niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Ebr. 4. Viuum uerbum Dei & efficax. Pſal. 119. Verbum tuum uiuificat me.*

Teſtimonia de diuinitate Spiritus ſancti.

Matth. 28 Baptizate eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Cum enim Baptiſmus ſit fœdus cum vero DEO: nosq; non ſolum in nomen Patris & Filij, verum etiam Spiritus ſancti baptizemur: neceſſe eſt Spiritum ſanctum, etiam eadem di-

dem diuinitate, potentia, maieſtate & gloria cum æterno patre & filio, præditum, & vtriq; ὁμοούσιον eſſe. *Deinde multa ſunt teſtimonia, in quibus palam* DEI, *& Domini ſeu* IEHOVÆ *nomen, Spiritui ſancto tribuitur.* 1. Cor. 12. 6. 3. 2. Cor. 3. Act. 5. 28. *Eſaiæ* 6. *Poſtremo, propria ſolius diuinæ & omnipotentis naturæ opera & effectiones, ut creatio, regeneratio, uiuificatio, item, omni ſcientia, omnipræſentia, Spiritui ſancto ſacræ literæ aſſribunt.* Iob. 33. *Spiritus Dei fecit me.* Iob. 26. *Spiritus Dei ornauit cœlos.* Pſalm. 33. *Verbo Domini* (λόγῳ τῷ πατρός) *cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius (non creato ſed creante) omnis exercitus (omnes ſtellæ) eorum. Et Eccleſia canit:*

Veni creator Spiritus,
Imple ſuperna gratia.
Quæ tu creaſti, pectora.

Quæ perſona diuinitatis aſſumſit humanam naturam?

Secunda perſona, videlicet Filius Dei, aſſumtam ex ſubſtantia virginis Mariæ humanam naturam perſonali vnione ſibi copulauit, ita vt ſit vna perſona IESVS CHRISTVS noſter Mediator, redemtor, iuſtificator & ſaluator.

Quid

QVID EST INCARnatio Filij Dei?

INCARNATIO FILII DEI eſt vnio perſonalis duarum naturarum, diuinæ de ſubſtantia æterni Patris ab æterno genitæ, & humanæ ex ſubſtantia Mariæ virginis aſſumtæ, facta mirando conſilio diuinitatis, in Chriſto mediatore, vt genus humanum ab ira Dei, & æterna damnatione ſufficienti λύτρῳ redimeretur. 1. Timoth: 3. ad Heb: 2.

Quid eſt Mediator?

MEDIATOR eſt perſona inter Deum iraſcentem peccato, & genus humanum reum peccati & iræ Dei conſtituta, vt iuſticiæ Dei ſatisfaciat, ſuſtineat iram & pœnam pro peccato, deprecetur pro nobis, applicet ſua merita, & inuocantium gemitus & preces exaudiat. Ebr. 9. Ioh 17. 1. Timoth. 2.

CVR NECESSE FVIT IN Chriſto Mediatore noſtro duas naturas, diuinam & humanam inter ſe vnitas eſſe?

Cauſſa

Cauſſæ ab Athanaſio in libro de incarnatione uerbi, & ab alijs recitantur.

Primo hominem eſſe oportuit, quia homo peccauerat, à quo pœnam perſolui ordo iuſticiæ poſtulabat. Deinde, vt pati & mori pro homine poſſet. Item, vt φιλανθρωπίαν ſuam erga homines oſtenderet aſſumtione humanæ naturæ : eamq́; horribiliter à Diabolo conuulſam & oppreſſam, aſſumtione ſua & collocatione ad dexteram Dei Patris glorificaret.

Deinde oportuit eſſe Deum, vt λύτρον ſeu precium pro peccatis æquiualens, & meritum nouæ iuſticiæ & vitæ ſufficiens eſſet, ac vt molem iræ Dei & pœnarum ſuſtinere, & mortem ac diabolum vincere, & iuſticiam ac vitam æternam reſtituere poſſet. Item, vt ingredi in ſanctum ſanctorum, introſpicere pectus Patris, & corda inuocantium, & vbiq; Eccleſiæ adeſſe, inuocantes exaudire, defendere, ſeruare, & ſapientiam Dei, ac Spiritum ſanctum petentibus donare poſſet. Cumq́; in prima creatione Filius Dei λόγος, vitam & lucem, quæ fuit imago Dei, hominibus tribuiſſet : congrue-

bat ſapientiæ diuinæ, vt per idem verbum, quo condita eſt, imago Dei deprauata in nobis reſtauretur.

Quid eſt Chriſtus?

a Ψ 110. v. 4.
b. Es. 33. v. 22.
c. Es 61. v. 1.

CHRISTVS eſt ſummus Sacerdos & Rex Eccleſiæ: videlicet perſona, in qua duæ naturæ, diuina ὁμοούσιος καὶ συναΐδιος Deo Patri æterno, & humana ex ſubſtantia Mariæ virginis aſſumta, indiſſolubili fœdere vnitæ ſunt. Quæ perſona immediate à Deo ordinata eſt, vt per Euangelion à ſe ex ſinu æterni Patris prolatum, colligat ſibi ex genere humano æternam Eccleſiam: & ſua interceſsione, merito, ac efficacia, remiſsionem peccatorum, iuſticiam & ſalutem æternam impetret ac donet Eccleſiæ, quam in hac vita verbo & Spiritu ſancto regit, & aduerſus diabolos ac Tyrannos defendit, & tandem ex morte reſuſcitatam ornabit vita & gloria æterna.

Quid eſt Sacerdotium Chriſti?

SACERDOTIVM CHRISTI eſt offici-

officium docendi Euangelium, à ſe ex arcano ſinu patris prolatum, & intercedendi ac deprecandi pro toto genere humano in peccatum & mortem lapſo, & offerendi ſacrificium, videlicet ſeipſum, quo iram Dei aduerſus peccata placat, & toti Eccleſiæ remiſsionem peccatorum, iuſticiam & ſalutem æternam meretur. Ioh. 1. 17. Ebr. 7. 9. 10.

QVID EST REGNVM Chriſti in his terris?

REGNVM CHRISTI eſt gubernatio Chriſti, ſedentis ad dexteram patris, qua per miniſterium Euangelij omnibus temporibus mundi, colligit ſibi in genere humano, & ſeruat Eccleſiam, ſeu cœtum hominum, qui ipſum Dominum agnoſcunt, & in eum credunt, cui cœtui remiſsionem peccatorum, & æterna bona impertit, eumq; ſolo verbo & Spiritu ſancto ſuo, non armis corporalibus gubernat, & oppreſſum cruce mirabiliter defendit, & tandem reſuſcitabit ex morte, ad vitam & gloriam æternam.

QVOD EST DISCRIMEN INter Chriſtum, & Iohannem Baptiſtam, ſeu cæteros ſanctos?

Quatuor ſunt præcipua diſcrimina. primum perſona differunt. Habitat enim diuinitas in Chriſto, non, vt in cæteris ſanctis hominibus, tantum effectiue & ſeparabiliter: Sed etiam tali ratione, vt Filius Dei, & natura humana aſſumta, ſint vna indiſſolubilis perſona, ſicut anima humana & corpus vnum hominem conſtituunt.

Secundo differunt officio. Solus enim Chriſtus eſt redemtor & Saluator, placans ſuo merito iram Dei, liberans nos à peccatis & morte, & reſtituens iuſticiam & vitam æternam. Sancti non ſunt redemtores, ſed tantum miniſtri verbi, per quod Chriſtus ſua beneficia hominibus annunciat & impertit.

Tertio efficacia. Nam Chriſtus propria potentia efficax eſt per verbum, illuminans mentes vera agnitione Dei, dans Spiritum ſanctum, & viuificans corda

da noua & æterna iuſticia & vita. Iohannes Baptiſta & cæteri ſancti, non ſunt efficaces propria potentia, ſed tantum miniſtri verbi & Sacramentorum.

Quarto, Chriſtus eſt ἀναμάρτητος, expers omnis peccati & labis. 2. Corinth. 5. 1. Pet. 3.

Sancti omnes ſunt peccatores. 1. Iohan. 1. Pſal. 32. & propter Chriſtum à peccatis abſoluuntur.

QVID EST COMMVNICAtio Idiomatum?

Eſt prædicatio, in qua propter perſonalem diuinæ & humanæ in Chriſto naturæ vnionem, proprietas vnius naturæ tribuitur toti perſonæ Chriſti in concreto.

Eſt autem magnum diſcrimen Idiomatum. Quædam enim proprietates & actiones utriq; naturæ competunt: Quædam agit aut patitur perſona ſecundum alterutram naturam: Quædam humanæ naturæ proprietates eſſentiales & perpetuæ ſunt: Quædam accidentariæ & temporales: Diuinæ naturæ idiomata quædam Angelis etiam & hominibus cæteris, quædam ſoli Chriſto homini communicantur: Quædam appellationes, naturas ipſas, aut eſſentiales

1 Tim. 2. Unus Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Jesus Christus, qui dedit semet ipsum pretium redemptionis pro omnibus

earum proprietates : Quædam naturas in concreto denotant : Quædam officij nomina ſunt, ut : Mediator, Iuſtificator, Saluator, quæ non tantum alterutri naturæ, ſed toti perſonæ competunt.

Sed hæc à grandioribus natu reuerenter, pie & ſobrie cogitanda ſunt.

QVIS EST VSVS ET PRAXIS doctrinæ de Deo, & de tribus perſonis Diuinitatis?

Vt Deus recte à nobis agnoſcatur & inuocetur, ſeu, ut uera agnitio Dei, Timor iuſtißißimæ iræ aduerſus noſtra peccata, Fides ſeu Fiducia miſericordiæ propter Filium mediatorem promiſſæ, ardens inuocatio Dei, qua petamus nos à Filio Dei doceri & ſeruari, & à ſpiritu Dei paracleto regi & ſanctificari, uera gratitudo pro ſummis beneficijs Dei, ac inprimis pro miſſo filio redemtore, & effuſo in pectora noſtra ſpiritu ſanctificante, & totius uitæ obedientia & conformitas, cum ſapientia & iuſticia, & cæteris uirtutibus Dei, in nobis excitetur, alatur & confirmetur, non ut ocioſis ſpeculationibus & argutijs ac quæſtionibus prophanis, quæ ab hac uera & practica Dei noticia mentes abducunt, & tamen arcanam Dei naturam non explicant, inanem ingeniorum curioſitatem alamus.

Præcipuè autem in quotidiana Dei Inuocatione

hæc

hæc doctrina de Deo, de tribus perſonis diuinitatis, de beneficijs filij Dei mediatoris, ac de ſpiritu Gratiæ & precum, de promißionibus, de Fide proferenda: & Inuocatio noſtra ab Ethnica, Turcica, Pontificia & omnium aliarum gentium battologia ſegreganda eſt.

QVID EST VERA INuocatio Dei?

VERA INVOCATIO DEI eſt, prælucente vera agnitione & fiducia Filij DEI Mediatoris petere à vero Deo, patre Domini noſtri Ieſu Chriſti, bona ſpiritualia & corporalia, præſentia & æterna, iuxta ipſius promiſsiones, & certo ſtatuere ſe Deo curæ eſſe, & à Deo tanquam Patre φιλοςόργῳ preces noſtras, propter filium Dei interceſſorem, exaudiri, & nobis ſalutaria tribui: ideoq; viciſsim eum omnibus grati animi & obœdientiæ officijs celebrare. Io. 16. Amen Amen dico vobis Quicquid petieritis patrem in nõie meo dabit vobis.

QVAE SVNT PARTES VERAE Inuocationis, quas in omnibus noſtris ad Deum precibus pie & attente conſiderare, & ſimul complecti ac coniungere ſinguli debemus?

I. Compellatio veri Dei, Patris Domini noſtri Ieſu Chriſti, illuſtribus teſtimonijs in Eccleſia patefacti, vt ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum ſolum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Non habebis Deos alienos coram me.

II. Cogitatio mandatorum Dei, quæ Inuocationem præcipiunt, & bona à Deo promiſſa peti & expectari ſeuerisſime iubent. Matth. 7. Lucæ 18.

III. Pœnitentia ſeu Confeſsio propriæ indignitatis & peccatorum, cuius in precatione Dauidis, Pſal. 51. & Danielis cap. 9. exemplum inſigne habemus.

IIII. Conſideratio promiſsionis de remiſsione peccatorum & liberatione, de exauditione precum propter Chriſtum Mediatorem. Pſalm. 50. Matth. 7. 11. 18. &c.

V. Fides certo ſtatuens ſibi remitti peccata, & ſe Deo placere, & ſuas preces exaudiri propter Chriſtum. Iacob. 1. Oret in fide Epheſ. 3. Per fidem audemus accedere.

VI. Commemoratio rerum petendarum, quæ ab ipſo Chriſto in ſeptem petitiones incluſæ ſunt. His gratiarum actionem

nem pro beneficijs Dei ſpiritualibus & corporalibus annectamus.

QVOD EST DISCRIMEN Chriſtianæ & Ethnicæ, ſeu veræ & falſæ Inuocationis?

Quatuor ſunt præcipua diſcrimina. Chriſtiana inuocatio ad vnum & ſolum verum Deum, Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, patefactum miſſo & Filio & dato Euangelio, directa eſt. Ethnici non vnum Deum, ſed commentitia numina, Iouem, Palladem, Martem, ſicut Pontificij etiam mortuos homines, Georgium, Barbaram, Mariam & alios, in precatione alloquuntur, contra hanc æternam & immotam Regulam: DOminum DEum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Iudæi etiam & Turci, cum vnicus & ſolus ſit conditor cœli & terræ Deus, qui eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem ipſi ignorant, vel contumelia afficiunt, ſibi ipſis idolum ſculpunt, quod compellant, iuxta regulam: Qui non honorat Filium, non honorat Patrem.

Deinde Chriſtiana inuocatio regitur expreſſo mandato & promiſſione Dei:

Ethnici ſine certo Dei verbo incerti vagantur.

Tertio prælucet Chriſtianæ inuocationi vera agnitio Chriſti & FIDES ſtatuens ſe propter Filium Dei mediatorem certo recipi & exaudiri, iuxta promiſsiones in Euangelio reuelatas.

Ethnici, quia Filium Dei ignorant & Euangelion aſpernantur, hac fide, quæ anima & vita eſt piæ precationis, prorſus deſtituti ſunt.

Poſtremo, Chriſtiani non tantum fugacia huius vitæ bona, & liberationes ex periculis corporalibus, ſed inprimis remiſsionem peccatorum, lucem Spiritus ſancti regentem mentes in agnitione Dei & gubernatione vitæ, donationem iuſticiæ & vitæ æternæ, conſeruationem ueræ doctrinæ, & Eccleſiæ defenſionem aduerſus Diabolos, &c. à Deo petunt: quæ ab Ethnicis & eorum ſimilibus in Eccleſia hominibus ſecuris ne quidem optari aut expeti ſcimus.

SE-